

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XLIII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT XLIII.

DE TRIFOLIO, TEUCRIO,
THELYPHONO,
Taxo, Thapsia & Thauzargent.

Trifolium futuræ tempestatis est prænuncia. Advēniente enim arrigitur contra. Observatum copiosos herbæ flores, crebras anni pluvias, & aquarum porrendere inundationes: paucos siccitatem. *Fuchs. in herb.* Panis cuculi dicitur, vel quod eo vescatur, vel quod ad cantum erumpat. Odoratum septies in die fragrantiam acquirit, amittit septies. Decerptum retinet perpetuo; tantumque instante tempestate promit, ut totas compleat ædes. *Teucrion*, alias *Hermion*, nec florēt, nec semen gignit. Medetur lienibus, constatque sic inventam. *Plin. l. 25. c. 5.* Cum exta super eam projecta essent, fertur adhæsisse Lienī, eumque exinanisse. Narrat, sues, qui radicem ejus comederint, sine splene inveniri. *Thelyphonum* radicem *Scotopioni* similem habet; eosdem, admotum, occidit; reviviscere, candido si linantur elleboro, traditur; haud credendum. *Theophrast. lib. 9. c. 19.* *Taxus* baccas fert rubentes, vinosas; quas qui comederint, in febres incidunt & dysenteriam: Iumenta etiam mori, si folia comederint, evadere ruminantia, traditum à *Theophrast. lib. 3. c. 10.* à *Plinio lib. 16. c. 10.* refutatum. In *Arcadia* enim tam præsentis est veneni, ut qui sub ea obdormiverint, intereant. *Ovetan. sum. c. 78.* In *India* os, oculosque dormientium reddit tumidos. *Thapsia* in terra nascitur *Attica*, in qua pecudes *Incolæ* eam non tangunt, depascunt peregrinæ; pastum aut alvi solutio excipit, aut mors. *Theophrast. l. 9. c. 22.* Accepit Claritatem à *Nerone*. Hic enim nocturnis gratificationibus converberatam faciem, illinens sibi cum *Thapsia*, thure & cera, sequenti die contra famam, cutem sinceram circumferebat. Mirum enim in modum sugillata dolet. *Plin. l. 13. c. 22.* *Thauzargent* radix est in *Ociden-*